includitur, quia hoc non arguit perfectionem ex parte inclusi, sed includentis; ac ita est in proposito, quod relatio est divina essentia ob ipsius essentiæ perfectionem infinitam, propter quam includit identicè eam, sic autem includi in alio nec est perfectionis, nec imperfectionis in incluso, sed in includente dumtaxat, unde ex hoc quod relatio divina sit apta identificari essentiæ solum deduci potest, quod de se non sit limitata, neque finita, non autem quod sit infinita, ac illimitata, ita colligitur ex Scot. loc. cit. Tum probatur assumptum, quòd sicut ineptitudo in relatione creata, ut cum divina essentia identificetur, est magna quædam imperfectio, & arguit ipsam esse limitatam, sic è contra in relatione divina aptitudo ad identitatem cum divina essentia erit magna perfectio, & arguere debet illimitationem in ipsa. Negatur paritas, quia ut ait Dionys. bonnm, & perfectum est ex integra causa, malum ex quocunque defectu, unde plus requiritur ad perfectionem, quàm ad imperfectionem inducendam, quia hæc subrepit ex quocunque defectu, & ideò licet illa ineptitudo ad identitatem cum divina essentia in relatione creata imperfectionem inducat, non ita è contra aptitudo ad eam in relatione divina inducit perfectionem, vel arguit illimitationem, nam ad perfectionem simpliciter, & infinitam constituendam quid plus requiritur, ut nempe sit quidditas suaptè natura communicabilis juxta definitionem Ansel. in Monol. quod in quolibet melior est ipsa, quàm non ipsa, quod divinis relationibus non convenit; itaque ex illa aptitudine in ipsis reperta ad identificari cum divina essentia ad summum deduci potest, quod non sunt finitæ, & limitatæ, non autem quod sint infinitæ.

45 Postremò longo discursu probat Rubion. 1. dist. 33. quæst. 1. relationes originis esse formaliter infinitas, & ejus unicum fundamentum consistit in hoc, quod infinitas non dicit quid positivum in re infinita aliquo pacto ab ea ex natura rei distinctum; sed tantum dicit puram negationem finitatis, unde sicut invisibile est carens visibilitate, ita infinitum est carens finitate, formaliter loquendo; & sicut invisibile materialiter, seu fundamentaliter nil aliud est, nisi ipsamet res, cui repugnat videri, & in ipsa proximè, & immediatè fundatur negatio visibilitatis, non autem in aliquo positivo ex natura rei ab ea re distincto, ita quoque infinitum fundamentaliter nil aliud est, nisi res ipsa, cui finitas repugnat. Hoc declaratur in Deo, cui propriè convenit infinitas, nam eo repugnat Deo finitas, quo Deus ipse ultra omnem proportionem excedit omne possibile finitum, & quò est impossibile ipsum esse finitum, sed Deus ratione suæ Deitatis præcisè circumscripto omni alio excedit improportionabiliter omne possibile infinitum, & ex sua ratione formali, non autem per aliquid additum repugnat illi esse finitum, ergo &c. Facto hoc supposito ita deducitur relationes originis esse formaliter infinitas; omne non finitum est formaliter infinitum, quia infinitum formaliter sumptum solam negationem dicit finitatis, fundamentaliter verò solam rem, quam denominat infinitam, non verò gradum aliquem quantitatis perfectionalis, sed proprietates personales divinæ non sunt finitæ, imò sunt non finitæ, cùm sint à divina essentia realiter indistinctæ, ergo &c. Confirm. quia divina essentia non dicitur, nec est formaliter infinita, ut infinitum supponit pro aliquo ab ipsa distincto, sed tantummodò ut supponit pro illo, cui seipso repugnat omne finitum per ipsum infinitum prædicatum negatum; sed propter eandem rationem penitus relatio ipsa est infinita; scilicet quia non minus ipsi, quàm essentiæ repugnat omne finitum, cùm sit ab ea non minus, quàm ab essentia distinctum, ergo &c.

Resp. falsum esse suppositum illud, quod infinitas non dicat quid positivum in re infinita, sed solam negationem limitis, & perfectionis, quia tunc talis negatio esset extra genus, quæ cum absolutè nihil requirat, æqualiter dicitur de ente, & de non ente, & sic Chimera dici posset infinita, quia ei convenit non esse finitum, seu negatio finitatis; quamvis ergo juxta significatum nominis, & secundum id, per quod explicatur à nobis, infinitas dicat negationem limitis, & perfectionis, tamen juxta significatum rei veram rationem positivam importat in re infinita, immò & ab ea aliquo pacto ex natura rei distinctam, saltem ut modum intrinsecum à re, cujus est modus, ut notat Doct. quol. 5. litt. C. & quol. 6. E. & 2. dist. 31. quæst. unic. B. & ratio deducitur ex Doctrina ipsius 1. dist. 23. qu. unic. & 3. dist. 1. qu. 1. litt. G. & alibi sæpè quod negatio, quæ rei convenit necessariò, & cum repugnantia opposita affirmati, opus est ut illi conveniat per aliquod positivum, quod sit ratio fundandi talem negationem, ut si negatio spiritualitatis inest homini, id utique est ratione materialitatis, in qua fundatur, cùm igitur perfectioni divinæ ita conveniat à parte rei negatio limitis, & termini, ut ei omninò repugnet terminum limitem habere, planè necesse est, eusmodi negationem per aliquam rationem positivam ei competere, unde concluditur tandem infinitatem addere aliquam rationem positivam ipsi Deitati. Verum tamen est, hanc rationem positivam non esse quidpiam ab ea realiter distinctum, & hoc solum ingenuè probant rationes, quas contra nostram sententiam congerit Rubion loc. cit. ut constat ex his, quę habet art. 3. inquit enim quod si finitas, & infinitas dicerent gradum perfectionalem ab ipsa re distinctum, tunc impossibile non esset hominem non esse aliuo perfectiorem, quia talis gradus (inquit) esset ab homine realiter distinctus, & per consequens posset ab eo per divinam potentiam separari; solum ergo probant rationes Rubion indistinctionem realem gradus perfectionalis à re, cujus est gradus, non autem in distinctionem ex natura rei modalem, quam nos tantum ponimus; & non majorem. Et in hoc sensu verum est Deum semetipso præcisè circumscripto quocunque alio realiter, immò etiam formaliter in rigore distincto esse infinitum, quia infinitas est modus ejus intrinsecus.

46 Et sic etiam pariter respondendum est ad exemplum, quod affert de invisibili, quia ut benè notat Smising. de Deo uno tract. 2. disp. 6. num. 15. invisibilitas, ut dicit ineptitudinem alicujus entis ad terminandam visionem non est pura negatio, sed modus positivus intrinsecus talis entis fundans negationem, quia etiam illa ineptitudo terminandi provenit ex certa limitatione, vel illimitatione intrinseca talis entis. Hinc ad rationes, quibus probat relationes originis esse formaliter infinitas, facilè occurritur, ad pr. neganda est major, quod omne non finitum sit formaliter infinitum, quia non finitum est negatio extra genus, quæ æqualiter dicitur de ente & non ente, infinitas autem dicit negationem in genere, & fundatam in aliquo positivo, quæ sit ratio proxima, & immediata fundandi talem negationem, quod toti rei, quæ infinita dicitur, convenire non potest, ut Rubion contendit; sed alicui peculiari ejus rationi, sicut v. gr. negatio spiritualitatis convenit homini, non quidem ratione totius humanitatis, sed ratione materialitatis præcisè, in qua proximè, & immediatè fundatur, & negatio brutalitatis convenit ei præcisè ratione discursus, & sic de aliis negationibus, quæ alicui subjecto conveniunt non ratione totius entitatis ejus, sed alicujus formalitatis in ipso contentæ. Ad Confirm. verum est divinam essentiam non dici formaliter infinitam, ut infinitum supponit pro aliquo ab ipsa realiter distincto, benè tamen ut supponit pro aliqua realitate, quæ est modus ejus intrinsecus ei realiter identificatus, & prorsus inseparabilis, quo sensu seipsa dicitur esse infinita, sed hac ratione nequit relatio originis dici seipsa formaliter infinita, quia ipsa non includit talem modum perfectionalem. Dices non minus ipsi, quam essentiæ repugnat esse finitum. Negari posset assumptum, quia relationi repugnat esse finitam ob realem identitatem, quam habet cum essentia, & ideò magis essentiæ repugnare videtur ob illam maximam, propter unumquodque tale &c. Tum quia essentiæ repugnat ob propriam, ac formalem ipsius infinitatem, relationi verò ob infinitatem alterius, cui identificatur. Vel dicatur, quod esto non minus relationi, quàm essentiæ repugnaret esse finitum, non tamen id evenit eodem modo, quia uni competit merito propriæ infinitatis, alteri verò ratione solius realis identitatis cum alio infinito. Alias rationes ibidem Rubion adducit contra nostram sententiam, quæ ex modo præmissa doctrina facilè diluuntur; alia quoque argumenta pro infinitate relationum originis solent adduci, quæ missa facio, quia ad proprium quæstium tract. de Trinitat. spectant; hic jam allata adducere placuit, quia non passim ab aliis afferuntur, & majorem difficultatem præferre videntur.

QUÆSTIO III.

De ordine divisionum entis realis, & quanam sit omnium prima.

47 Ratio difficultatis hujus quæsiti tangitur à Mauritio in margine ad Magistrum formal. art. 1. princ. ubi agunt formalistæ de divisionibus entis supra declaratis, inquit enim ibi Mauritius, circa has divisiones entis sit cautus lector, quia non potest de facili poni ordo in eis, & subdivisiones, ut in arbore prædicamentali, sed aliquod membrum uniis continet, & continetur à membris alterius; unde una non subordinatur alteri, ut ejus subdivisio, sed aliquæ æquè primo, & immediatè videntur ipsum ens dividere, ac adæquare; & ita præsertim se habent divisiones illæ, quibus ens dividi solet in Deum, & creaturam, dependens, & independens, finitum, & infinitum, causatum, & incausatum, & aliæ hujusmodi, in quibus divisum est idem, ac membra dividentia eadem, creatura namque, ens finitum, causatum, & dependens idem significant, sicut è contra Deus ens infinitum, incausatum, & independens. Immò id etiam contingit in quibusdam aliis divisionibus, quorum membra dividentia non sunt eadem, sed diversa, ut divisio qua ens dividitur in Deum, & creaturam, & in absolutum, ac respectivum, utraque enim est adæquata enti, ac totum ens exhaurit, & una sub alia non continetur.

Hinc oritur prima sententia, quæ utique plures, ac varias, admittit entis divisiones, sed inquit esse omnes ex æquo primas, ac immediatas, ut cùm dividitur in Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, absolutum, & respectivum, spirituale, & corporeum, vel alio consimili modo, nam omnes istæ divisiones æquè primo, ac immediatè adæquantur enti, non enim una est divisio alicujus membri peculiaris in altera divisione contenti, sed singulæ totum ens distribuunt, & ideò omnes sunt æquè primæ, & immediatæ, ita Aversa in sua Philosoph. quæst. 17. sect. 1. fatetur tamen sect. 2. si divisiones entis comparentur adinvicem posse unam, vel alteram adhuc dici priorem juxta varias acceptiones, & explicationes; si enim unum v. gr. sumatur positivè, & realiter pro ipso ente, quod vel simplex est, vel compositum, & perfectum sumatur pro passione entis, quæ dividatur per finitum, & infinitum, sic planè prior est illa divisio, sicut prior est ipsa ratio entis, quam ejus passiones, si è converso unum sumatur pro negatione, & passione, perfectum verò, ac finitum, & infinitum pro ipsa entitate rei, sic prior erit hac alia divisio; & sic componere credit varias, ac dissentientes de ordine divisionum entis opiniones. Neque ab hoc

hoc dicendi modo valdè distat Zimara in concordantiis Averrois super 6. Metaph. post quam enim fecit Averr. hac in re dubium, & ancipitem ac ferè sibi contrarium, tandem ipse afferit plures esse primas entis divisiones in suo tamen genere, quia prima divisio entis in parte subjectivas est in decem prædicamenta, divisio vero entis prima per modos, seu analogas differentias est per actum, & potentiam; prima demum divisio entis per passiones est in unum, & multa necessarium, & contingens.

48 Alia, ac ferè communis sententia plures utique, ac varias enumerat entium divisiones, at non omnes agnoscit æquè primas, & immediatas, immò concedit dari unam omnium primam, ac immediatam, sed quænam sit ista, quot capita, tot sententiæ; Thomistæ ajunt primam entis divisionem esse in unum, & multa, ita Soncin. 10. Metaph. quæst. 1. Zanard. ibid. ubi præsertim contendunt hanc esse priorem alia divisione in infinitum, & finitum, Javell. tamen tract. 1. de Transcend. cap. 1. licet & ipse cum aliis Thomistis defendat divisionem entis in unum, & multa esse priorem divisione in finitum, & infinitum, adhuc tamen alias divisiones hac ipsa priores constituit, & absolutè vult ens reale prima sui divisione dividi in ens per se, & ens per accidens, deinde in absolutum, & respectivum, deinceps in unum, & multa, rursus in quinque transcendentia, ac denique in finitum, & infinitum. Scotistæ è contra docent primam entis divisionem esse in quantum, & non quantum, nec solum contendunt esse priorem divisione entis in unum, & multa, quam Thomistæ volebant esse primam, sed etiam præcedere divisionem illam universalissimam entis in finitum, & infinitum, immò volunt hanc esse subdivisionem illius, quia finitum, & infinitum non dividunt nisi ens quantum, quod colligunt ex Doctore quol. 5. in fine, ita Tromb. quæst. 1. Metaph. Magister formal. art. 1. princ. & alii Formalistæ ibid. Sed quia Doct. loc. cit. licet dicat divisionem entis in quantum, & non quantum esse priorem divisione in finitum, & infinitum, tamen non exprimit hanc esse absolutè omnium primam, ideò Scotistæ quoque inter se dissentiunt, Vallon. tract. Formal. art. 1. princ. ait, quod loquendo de divisione entis realis in se primò dividitur in Deum, & creaturam, quam in quantum, & non quantum, aut per finitum, & infinitum, at respectu nostri, & intellectus confusè concipientis ens prima divisione dividitur per finitum, & infinitum, aut per quantum, & non quantum, priusquam per Deum, & creaturam.

49 Aretinus tract. Formal. art. cit. inquit, quod si sermo fiat de divisione simpliciter prima, & immediata, reali, & Metaphysica, prima entis realis divisio simpliciter considerati in sua maxima communitate est per quidditatem, & modum, sive per quid, & quale, ad eam namque reducuntur omnes aliæ divisiones entis, & ab eisdem præsupponitur, cùm ipsa sit immediatè contenta subdivisio, per quam salvatur distinctio quidditativa omnium entium, & eorundem distinctio modalis, & hoc ait esse Doctoris placitum 4. Metaph. quæst. 1. ubi docet quid, & quale esse immediatas partes entis, ita quod ens non descendit prius in partes alias, quam in istas; subdit deinde, quòd si sermo fiat de divisione entis facta per quidditates, prima divisio entis est in Deum, & creaturam; & denique concludit, quod prima divisio entis per modos est per quantum, & non quantum. Meurisse lib. 1. suæ Metaph. quæst. 5. ait ens prima omnium divisione in Deum, & creaturas debere dividi, quia hæc est universalissima, & datur per extrema maximè distantia; deinde sequi potest divisio in finitum, & infinitum, necessarium, & contingens, quia hæ quoque divisiones dantur per extrema maximè distantia, sequuntur deinceps aliæ divisiones; quæ sunt æquè universales, ac prædictæ, extrema tamen sunt minus distantia, cujus rationis est illa, qua ens dividitur in absolutum, & respectivum, hæc enim est universalis, sicut prædictæ, cum exhauriat totum entis ambitum non minus quàm illæ, ejus tamen extrema sunt minus distantia, cum etiam entium creatorum alia sint absoluta, alia respectiva, unde hęc membra non infinitè distant; tertium denique, ac ultimum locum obtinent divisiones illæ, quibus ens subdividitur, ut cum ens dividitur in finitum, & infinitum, & finitum in substantiam, & accidens, Bargius 1. dist. 36. ait, quod prima entis divisio absolutè loquendo est per ens possibile, & ens impossibile, quæ habetur 5. Met. 17. secunda est entis per positivum, & negativum, quæ habetur 9. Met. 21. tertia est in ens per se, & ens per accidens, quæ habetur 5. Met. 13. & quarta est per ens in anima, & extra animam, quam inquit non esse divisionem illam, qua ens dividitur in ens reale, & ens rationis; varietatem hanc opinionum inter Scotistas sigillatim referre placuit circa primam entis divisionem, quia referuntur passim ab Auctoribus, ac si omnes unanimiter tenerent eam esse divisionem entis in quantum, & non quantum.

Alii, & est satis frequens opinio, asserunt, primam entis divisionem esse, per quam dividitur in finitum, & infinitum, quam præcipuè defendit Suarez disp. 4. Metaph. sect. 8. rursus disp. 28. sect. 2. Bonetus lib. 9. suæ Metaph. cap. 1. docet primam entis divisionem esse in limitatum, & illimitatum, ubi exprimit se non intelligere per limitatum, & illimitatum, finitatem, & infinitatem, sed ait se insinuare velle duas differentias per se divisivas entis, quarum una cum ente constituat quidditatem primæ Intelligentiæ, scilicet illimitatio, alia vero scilicet limitatio constituat cum ente creaturam, quæ distribuitur in decem prædicamenta. Algazel 1. suæ Metaph. voluit primam entis divisionem esse in substantiam, & accidens; Albertus 1. Metaph. dixit ens primò dividi in ens à seipso, & ens ab alio. Acerbus lib. 1. qq. Peripatet. quæst. 1. inquit, principes entis divisiones esse in actum, & potentiam, substantiam, & accidens, & alii aliter sentiunt.

50 Tertia tandem, ac ultima sententia, ut omnes devitet difficultates; unicam tantum posit divisionem entis, quæ sit prima, & immediatè se habeat respectu ipsius, & hanc sentiunt quamplures esse illam, qua dicunt ens reale immediatè distribui in decem prædicamenta, idque asserunt, ut salvent illo decem esse summa, & suprema genera, si enim posset prius ens dividi in gradus superiores, & magis immediatos, ut v. gr. in ens finitum, & infinitum, substantiam, & accidens, absolutum, & respectivum, tunc utique illa decem non essent suprema genera, quia supra se gradus superiores haberent, quos nil vetat habere rationem generis, nam si v. gr. ens finitum ad decem genera subdividitur, nil prohibet quin dividatur ut genus generalissimum in inferiora genera, sic Gandavens, sensisse videtur 5. Metaph. quæst. 13. Pasqualig. quoque eandem tuetur sententiam unam scilicet tantum esse entis divisionem, sed hanc ait esse in substantiam, & accidens, cujus præcipuum fundamentum est, quia cùm nulla ex divisionibus, quæ de ente circumferri solent, sit vera, ac propria divisio præter illam, qua ens dividitur in substantiam, & accidens, ut ipse opinatur, consequenter concludit, hanc esse divisionem omnium primam; ita discurrit præcit. Auctor tom. 1. Metaph. disp. 32. sect. 3. & 4. & disp. 31. sect. 2. num. 12. Hurtad. autem disp. 10. Metaph. sect. 1. licèt plures agnoscat entis divisiones, primam tamen, ac immediatam inquit, & ipse esse istam, scilicet in substantiam, & accidens.

ARTICULUS I.

Resolutio quæsiti.

51 Pro resolutione quæsiti advertendum est hìc, esse sermonem de ente reali, & de veris, ac propriis ejus divisionibus, in quibus nimirum aliquod commune univocum, vel saltem analogum dividitur, quod à membris dividentibus participatur; ex hac enim animadversione statim à nostro proposito excluduntur omnes illæ, quæ non sunt veræ, ac propriæ divisiones entis, quales sunt ex dictis in prima quæst. divisio in ens reale, & rationis, in ens per se, & ens per accidens, in unum, & multa, in positivum, & negativum, in possibile, & impossibile, hæ namque, & consimiles sunt divisiones æquivoci in æquivocata, quia non datur aliquod commune divisum, quod in ea membra distribuatur, unde non tam divisiones censeri debent, quam æquivocæ vocis interpretationes. Retinendo itaque divisiones alias magis propriè dictas superius adductas, & declaratas, modo vestigandus est ordo inter illas, & quænam illarum sit prima. Ubi rursus advertendum est, unam divisionem posse dici alia priorem dupliciter, vel secundùm dignitatem, vel secundùm naturam, primò modo illa dicitur prior, cujus membra dividentia sunt aliis nobiliora, illa verò est prior secundùm naturam, cujus membra dividentia natura præcedunt alia, & hæc est prioritas, quæ in proposito inter membra ens dividentia propriè exquiritur. Porrò ex triplici capite solent Auctores hanc prioritatem divisionum entis auspicari, primò quidem ex universalitate majori, ut nimirum illa divisio dicatur prior altera, quæ est universalior, & superior, eamque sub se continet, quo sensu divisio entis in quantum, & non quantum dicitur prior divisione in finitum, & infinitum, quia hæc est subdivisio illius, quia solum ens quantum dividitur in finitum, & infinitum; secundò spectari potest hæc prioritas divisionum entis ex majori distantia extremorum dividentium, quia non semper illa est universalior; cujus extrema sunt magis distantia, nam contingere potest ut extrema unius divisionis minus distent extremis alterius, & adhuc sint æquè universales, ut constat de divisionibus, quibus ens dividitur in absolutum, & respectivum, ac in Deum, & creaturam, extrema namque illius divisionis minus distant extremis istius, quia extremà istius nempè Deus, & creatura infinitè distant, non autem absolutum, & respectivum, cum ambo intra sphæram entium quoque creatorum reperiantur, quorum alia sunt absoluta, alia respectiva; unde ubi ex primo capite ambæ divisiones istæ essent æquè primæ, cùm utraque totum ens exhauriat, nec una sub alia contineatur, tamen ex hoc secundo capite divisio entis in Deum, & creaturam dicitur prior divisione entis in absolutum, & respectivum. Denique spectari potest prioritas divisionum entis ex majori, vel minori intimitate, vel propinquitate rationum dividentium cum communi divisio, nam quæ prius communi diviso adveniunt, priusquoque natura illud dividunt, & hac via utebatur Trombet. 1. Metaph. quæst. 1. ad vestigandam primam entis divisionem.

52 Et quidem tres istæ viæ satis aptæ sunt ad inveniendam prioritatem alicujus divisionis respectu communis divisi, prima quidem ex universalitate petita, quia magis universalia natura præcedunt minus universalia, & sic divisio facta per differentias communiores jure præcedere debet eam, quæ fit per minus communes; secunda quoque petita ex majori distantia, seu diversitate extremorum dividentium valde idonea est, quia quæ magis distant magis contraria videntur, cùm ergo lex bonæ divisionis sit, ut per membra contraria tradatur, sequitur, quod quæ datur per membra magis distantia, censenda sit omnium prima secundùm naturam; tum quia quę magis distant minorem inter se convenientiam habere videntur,

videntur, distantia namque oritur ex diversitate, atque ideò pauciores rationes habent supra se, in quibus conveniant, quam quæ minus distant; ergo servato naturæ ordine prius dividunt communem rationem, cui adveniunt, quam membra minus distantia, quia non dividunt mediis aliis rationibus quas supra se habeant, sicut dividunt membra minus distantia. Demum tertia quoque via, qua solent nti Scotistæ, valde est accommoda ad inveniendam prioritatem divisionum entis, quia cum aliquod commune dividi possit tanquam per rationes dividentes per differentias, per modos intrinsecos, & per passiones ejus, sicut ex natura rei differentiæ quidditativæ præcedunt in re modos intrinsecos, & modi intrinseci passiones, ita pariter divisiones factæ per essentiales differentias præcedunt eas, quæ per modos fiunt, & factæ per modos priores sunt iis, quæ fiunt per passiones. Quod si in serie plurium divisionum alicujus communis naturæ, vel conceptus una divisi inveniretur, quæ ex præfatis tribus simul capitibus, vel saltem ex duobus cœteras præcederet, quod non est impossibile, ut postea patebit, nempe quia universalior esset, & facta per extrema magis distantia, quæ proprias, & essentiales differentias importent, non autem passiones, & modos, planè hæc censeri debet omnium prima, & immediata; his prænotatis.

53 Dicendum primò, non dari unicam tantum entis realis divisionem, sed plures, quæ sunt veræ, ac propriæ divisiones. Conclusio est communis contra tertiam sententiam, & quidem quod dentur plures tale divisiones satis constat ex præcedentibus quæstionibus præsertim prima, ubi plures entis divisiones veras, & proprias assignavimus in finitum, & infinitum, Deum, & creaturam, absolutum, & respectivum, simplex, & compositum, substantiam, & accidens, &c. hæ inquam, & consimiles sunt veræ, & propriæ divisiones, quia in his omnibus dividitur aliquod commune univocum, quod à membris dividentibus quidditativè participatur, ut ibi ostensum est; & rationes, quibus Pasqualig. quasdam labefactare tentavit, ibidem diluimus, & alias quoque postea dissolvemus.

Probatur ulterius, quia assignari nequit, quænam sit hæc unica, & immediata entis divisio, si enim dicatur eam esse, qua ens reale immediatè dividitur in decem genera, hoc statim refellitur ex dictis disp.6. Log. quæst.1. ubi ex institutio probatum est ens reale posse, ac debere dividi in gradus immediatiores, ac superiores decem generibus, idque variis modis contingere posse, potest namque dividi in infinitum, & finitum, & hoc in absolutum, & respectivum, & absolutum, deinceps immediatè distribui in substantiam, quantitatem, & qualitatem, respectivum vero in alia septem genera; vel si magis libet potest ens finitum immediatè dividi in substantiam, & accidens; hoc vero in alia novem genera vel immediatè distribui, vel mediante absoluto, & respectivo, quia accidentium aliud est absolutum, aliud respectivum, ut fusè ostensum est loc. cit. non ergo opus est immediatè, & proximè ens reale in decem genera dividere, sed benè dividi potest in gradus superiores, & magis immediatos, qui etiam habeant rationem generis, unde disp.2. de natura entis quæst.6. art. statutum est ens finitum esse genus ad decem prædicamenta. Neque ex hoc ullum sequitur absurdum, quia decem illa genera poni non debent simpliciter, & absolutè suprema, sed secundùm quid tantum; & in aliquo certo ordine, ac rerum coordinatione, ut ibi dictum est. Confir. quia si verum est, Deum in serie prædicamentali non concludi, quemadmodum in Logica demonstratum est ex Doctore 1. dist.8. qu.3. præfata divisio entis in decem genera, nedum prima non erit, nec immediata, & unica, sed nec etiam adæquata; & sufficiens, quia ens infinitum, & increatum ab ea subterfugeret.

Præterea probatur hanc unicam, & primam, ac adæquatam entis divisionem esse non posse illam, quam ponebat Pasqualig. in substantiam, & accidens, quia in primis fundamentum, unde motus est hic Auctor ad id asserendum, est, quia nullum agnoscit entis realis conceptum Deo, & creaturæ communem nedum univocè, sed nec etiam analogicè, sed solùm talem agnoscit communem ad substantiam, & accidens, undè postea concludit, hanc solam esse veram, ac propriam ejus divisionem. Sed hoc fundamentum est labile prorsus, ac ruinosum, ut satis constat ex dictis disp.2. de natura entis quæst.2. ubi solidè demonstrata est univocatio entis nedum ad substantiam, & accidens, sed etiam ad Deum, & creaturam, ergo hæc non est unica, & prima entis divisio. Deinde, cum asserit Pasqualig. ens reale præcisè, ac adæquatè dividi in substantiam, & accidens, loquitur de ente finito, quia solum ens finitum, seu creaturam inquit participare verè, ac propriè rationem entis realis, & negat Deum esse ens, ait enim esse aliquid supereminentius ente, ita discurrit disp.29. tom.1. sect.6. ergo hæc divisio nedum unica non erit, sed nec etiam adæquata, quia ens increatum non complectitur, quod tamen non subterfugit rationem entis realis, ut inquit Pasqualig. per hoc enim, quod Deus à SS. Patribus dicatur superens, & superfubstantia, sanè excludere noluerunt à Deo rationem veri entis, & substantiæ, sed solùm innuere nobiliori, ac excellentiori modo rationem entis in Deo reperiri, quàm in creatura, ut explicui disp.2. quæst.2. num.38. Demum neque hanc divisionem esse simpliciter, & absolutè primam, posteà ostendam.

54 Dicendum 2. dari non posse plures entis divisiones æquè primas ac immediatas simpliciter, & absolutè; sed tantum secundùm quid ex aliquo nimirum capite ex tribus assignatis num.51. ac proinde unam tantum esse primam, ac immediatam entis divisionem simpliciter, & absolutè loquendo. Conclusio est contra primam sententiam, quatenus simpliciter, & absolutè absque ulla limitatione admittit plures entis divisiones æquè primas, ac immediatas, probatur, & declaratur; dictum est enim num.51. ex tribus capitibus primitatem alicujus divisionis spectari posse, nimirum ex majori universalitate, ex majori distantia extremorum dividentium, ac denique ex majori intimitate, seu proximitate rationum dividentium cum communi diviso, sed impossibile est pluribus divisionibus, consimilibus, quæ scilicet habeant omnes, & singulas conditiones allatas, ens contrahi, vel dividi, ergo &c. probatur minor conferendo invicem omnes, & singulas entis divisiones, quæ solent circumferri, nam facta tali collatione statim apparet nullam una excepta omnes illas conditiones habere simul, & semel, nam si unam habet, caret alia, ut si conferas simul divisionem entis in Deum, & creaturam, & in absolutum, & respectivum, planè una non est universalior alia, utraque enim est adæquata enti, & ambit totam ejus latitudinem, nec una est subdivisio ulterius, unde ex hoc capite utique dici possunt æquè primæ, ac immediatæ, at deficiunt aliæ duæ conditiones, quia extrema secundæ divisionis minus abinvicem distant extremis primæ divisionis, nam tota diversitas inter absolutum, & relativum in creaturis salvatur absque distantia infinita, quæ tamen reperitur inter Deum, & creaturam; deficit etiam tertia, quia prima divisio datur per intimiora, vel proximiora communi diviso nimirum per ipsas quidditates immediatè sub ipso contentas, ut sunt Deus, & creatura. Rursus si conferas simul divisionem entis in Deum, & creaturam cum ea, qua dividitur in infinitum, & finitum intelligendo per finitatem, & infinitatem modos intrinsecos entis contractivos, & constitutivos, Dei, & creaturæ in suo gradu perfectionis entitativæ, quamvis sint æquè universales, & extrema utriusque eodem modo distent, scilicet infinitè, adhuc tamen deficit tertia conditio cum prima divisio per intimiora datur, quia pro membris ejus dividentibus designantur ipsæ rerum quidditates, at altera procedit per modos intrinsecos; quod quidem discurrendo per alias divisiones quisque poterit experiri, non ergo dari possunt plus entis divisiones æquè primæ, ac immediatè simpliciter, & absolutè, sed semper ex aliquo capite una præcedit aliam, & una solum inter omnes dici poterit simpliciter, & absolutè prima, illa nimirum quæ omnibus illis erit prædita conditionibus, vel saltem pluribus in comparatione ad cœteras divisiones.

Dices, nonnullas entis divisiones videri æquè primas, & immediatas ex omni capite, ut cùm dividitur in Deum, & creaturam, infinitum, & finitum, incausatum, & causatum, independens, & dependens à se, & ab alio, per essentiam, & participationem, &c. nam in his divisum est unum, & idem, & membra dividentia eadem; Deus enim ens infinitum, incausatum, & independens idem significant, item creatura, ens finitum, causatum, & dependens, ergo divisiones istæ, atque consimiles sunt æquè primæ, ac immediatæ, cùm omnino coincidant, ut diximus ab initio qu. Resp. in primis falsum esse, has divisiones omnino coincidere, quia rationes dividentes non sunt in omnibus eædem, quamvis enim Deus idem importet, quod ens infinitum materialiter, & quod est infinitum sit quoque independens, & e contra, & creatura idem importet, quod ens finitum, ac dependens, tamen prima divisio assignatur per ipsas quidditates immediatas, & puras præcisè quocunque modo; aliæ verò assignantur per modos intrinsecos, qui etiam sunt diversæ rationis, quia alter est alterius ratio, & potest per alium demonstrari de ipsa quidditate, ut finitas per dependentiam, & infinitas per independentiam, ut notatum est supra nu.7. solum ergo omnino coincidunt, quoad totum divisum, & quoad membra dividentia, divisiones illæ entis in causatum, & incausatum, dependens, & independens, à se, & ab alio, per essentiam, & per participationem, & hujusmodi, hi namque termini eundem planè modum important habendi entitatem in membris dividentibus, unde poterunt istæ divisiones dici æquè primæ, & immediatæ in suo ordine, quatenus una nullo modo præcedit aliam, non tamen simpliciter, & absolutè, quia omnes istas præcedit entis divisio in Deum, & creaturam, quæ etiam præcedit ipsam divisionem entis in finitum, & infinitum, quia, quoque ipsa infinitas, & finitas de Deo, & creatura demonstrari possunt per ipsas rationes Deitatis, & creaturæ, sicut & ipsa dependentia, ac independentia.

55 Dicendum 3. primam inter omnes entis divisiones, ac immediatiorem esse illam, qua dividitur in Deum, & creaturam. Conclusio hæc est meliorum Scotistarum, nec est cur alii reclament ex quol.5. primam divisionem entis esse in quantum, & non quantum, quia id non asserit Doctor ibid. sed solùm hanc divisionem comparat cum alia divisione entis in finitum, & infinitum, quam aliqui primam ponebant, & inquit hanc non esse primam entis divisionem, quia prius dividi debet in quantum, & non quantum, non ergo absolutè dicit divisionem entis in quantum, & non quantum esse primam, sed solùm præcedere illam, qua dividitur in finitum, & infinitum; sic pariter cum asserit Tromb. 4. Metaph. quæst.1. cum aliis Scotistis primam divisionem entis esse in quantum, & non quantum, nec etiam ipsi absolutè loquuntur, sed facta comparatione cum divisione entis in unum, & multa, quam prætendebant Thomistæ esse omnino primam. Prob. 1. ex doctrina jam tradita, nam inter divisiones entis illa censeri debet simpliciter, & absolutè prima, quæ habet illas tres conditiones, vel saltem plures in comparatione aliarum, sed divisio sola entis in Deum, & creaturam est hujusmodi comparata ad alias, ergo inter omnes dici debet simpliciter,

simpliciter, & absolutè prima, & immediata, major patet ex dictis, probatur minor conferendo hanc divisionem cum cœteris, ut enim constat ex conclusione secunda facta tali collatione semper hæc divisio aliis supereminet in aliqua conditione, namsi conferatur cum divisione entis in absolutum, & respectivum, vel in substantiam, & accidens sumendo substantiam transcendenter, quamvis una non sit universalior alia, quia adæquatè totum ens ambæ exhauriunt, adhuc tamen membra primæ divisionis magis distant membris secundæ, quia Deus, & creatura infinitè distant, non autem absolutum, & respectivum, substantia, vel accidens, quia hæc ambo extrema in creaturis reperiuntur, quarum una est absoluta, & alia relativa, & idem est de substantia, & accidente, si rursus conferatur cum divisione entis in finitum, & infinitum, licèt una non sit universalior alia, & membra utrisque æquè distent, scilicet infinitè, adhuc tamen prima divisio data est per intimiora, quam secunda, quia illa assignatur per quidditates, ista per modos, & ambit totam ejus latitudinem, nec una est subdivisio ulterius, unde ex hoc capite utique dici possunt æquè primæ, ac immediatæ, at deficiunt aliæ duæ conditiones, quia extrema secundæ divisionis minus abinvicem distant extremis primæ divisionis, nam tota diversitas inter absolutum, & relativum in creaturis salvatur absque distantia infinita, quæ tamen reperitur inter Deum, & creaturam; deficit etiam tertia, quia prima divisio datur per intimiora, vel proximiora communi diviso nimirum per ipsas quidditates immediatè sub ipso contentas, ut sunt Deus, & creatura. Rursus si conferas simul divisionem entis in Deum, & creaturam cum ea, qua dividitur in infinitum, & finitum intelligendo per finitatem, & infinitatem modos intrinsecos entis contractivos, & constitutivos, Dei, & creaturæ in suo gradu perfectionis entitativæ, quamvis sint æquè universales, & extrema utriusque eodem modo distent, scilicet infinitè, adhuc tamen deficit tertia conditio cum prima divisio per intimiora datur, quia pro membris ejus dividentibus designantur ipsæ rerum quidditates, at altera procedit per modos intrinsecos; quod quidem discurrendo per alias divisiones quisque poterit experiri, non ergo dari possunt plus entis divisiones æquè primæ, ac immediatè simpliciter, & absolutè, sed semper ex aliquo capite una præcedit aliam, & una solum inter omnes dici poterit simpliciter, & absolutè prima, illa nimirum quæ omnibus illis erit prædita conditionibus, vel saltem pluribus in comparatione ad cœteras divisiones.

56 Confirmatur, quia quodlibet superius dividi potest, & ad sua inferiora contrahi tribus modis, vel per passiones, vel per modos intrinsecos; vel per ipsas essentiales differentias; aut saltem per ipsas quidditates supressis modis, vel differentiis; ut cùm animal dividitur in hominem, & brutum sine formali expressione rationalis, & irrationalis, quæ sunt rationes dividentes animal, & constituentes hominem, & brutum, & sicut ex natura rei differentiæ essentiales præcedunt modos intrinsecos, & modi passiones, ita pariter divisiones eupdem inter se servant ordinem, ut nimirum quæ fit per differentias eam præcedat, quæ fit per modos, & facta per modos præcedat factam per passiones. Cùm igitur his quoque tribus modis dividi possit ens in sua inferiora, nimirum per passiones, ut cum dividitur in unum, & multa, vel per modos intrinsecos, ut cum dividitur per quantum, & non quantum, per finitum, & infinitum, vel per differentias, aut ipsamet quidditates, ut cum dividitur in Deum, & creaturam, planè fatendum est, divisionem factam per quidditates omnes alias præcedere. Confir. ulterius, quia ex Scot. 1. dist.19. quæst.1. ex 10. Metaph. ens quodlibet est quid, quantum, & quale, & prius est quid, quam quantum, priusque quantum, quam quale, quia est quid per suam essentiam, vel differentiam, quantum per modos intrinsecos pertinentes ad quantitatem virtutis, & quale per passiones; ergo pariter prior erit divisio facta per quid, quam facta per quantum, aut quale; sed divisio entis in Deum, & creaturam spectat ad quid, cœtere autem ad quantum, vel quale secundùm quod fiunt per modos, vel passiones; ergo hæc divisio est absolutè, & simpliciter omnium prima, ac immediatior.

57 Juxta hanc doctrinam vestigari debet ordo inter cœteras entis divisiones, nam quæ præstabit alteri in aliqua ex dictis conditionibus erit prior illa, ac immediatior, unde hac ratione divisio entis in quantum, & non quantum prior erit divisione entis in finitum, & infinitum, quia illa est universalior ista, cùm hæc sit ejus subdivisio; ens enim quantum est illud, quod dividitur in finitum, & infinitum, ubi nota, quod finitum, & infinitum hìc non sumitur pro ipsis extremis dividentibus, quia sic coincidit omnino hæc divisio cum ea, qua dividitur in Deum, & creaturam, sed pro modis intrinsecis entis, quibus ens determinatur, & opposita membra constituuntur. Deinde ens divisi debet in absolutum, & respectivum; quia licèt hæc divisio sit universalis, & adæquata enti, non secus ac divisio in finitum, & infinitum, tamen quia membra divisionis istius minus distant, cùm utrumque membrum enti creato, vel increato convenire possit, ideò præcedere debet divisio entis in finitum, & infinitum. Idemque judicium de divisione entis in substantiam, & accidens fieri debet, si nimirum substantia transcendenter sumatur, quia adhuc sic sumpta minus ab accidente distat, quam ens finitum ab infinito, nam tota diversitas accidentis, & substantiæ etiam sic sumptæ in creaturis salvatur absque infinita distantia, atque ideò eam præcedere debet divisio entis in finitum, & infinitum, utpotè data per membra magis diversa, atque distantia; sixi si substantia transcendenter sumatur, ut est communis Deo, & creaturis, quia si prædicamentaliter sumatur, tunc cum accidente non dividit ens, ut sic, sed ens finitum præcisè, & hoc pacto re vera sumitur, cùm ens in substantiam, & accidens dividi solet, ut dictum est q.1. hujus disp. num.22. in hujus divisionis explicatione, unde nullo modo hæc esse potest prima, & immediata entis divisio, ut nonnulli sunt opinati, quocunque modo sumatur.

58 Dices, divisionem entis in finitum, & infinitum hac ratione præcedere debere quoque ipsam divisionem entis in quantum, & non quantum, cùm enim etiam in creatis reperiantur entia non quanta ex dictis qu. 2. certè minus distabunt ens quantum, & non quantum, quam ens finitum, & infinitum, & ideo ob majorem distantiam extremorum dividentium prior erit divisio entis in finitum, & infinitum. Resp. negando paritatem; ratio namque benè probat e absoluto, & respectivo, substantia, & accidens, quod dividunt ens posterius, quam finitum, & infinitum, quia hæc magis distant, non tamen militat de finito, & infinito comparatione quanti, & non quanti, nam licèt magis distent finitum, & infinitum, quam quantum, & non quantum, quia tamen utrumque tam, scilicet finitum, quam infinitum, sub ente quanto continentur, ideo ens prius dividi debet in ens quantum, & non quantum, quam in finitum, & infinitum, quia hæc est divisio alicujus membri peculiaris in altera divisione contenti, quam quidem subordinationem divisiones entis in absolutum, & respectivum, substantiam, & accidens non habent ad divisionem in finitum, & infinitum, sed sunt prorsus universales, & ejusdem amplitudinis, ut illa; unde sicut quando duæ divisiones sunt æquè universales, sed membra, vel extrema unius magis distant extremis alterius, hæc censetur esse prior, quia stante æqualitate universalitatis, superat aliam in majori distantia extremorum, ita quando duæ divisiones ita se habent ad invicem, ut una præstet alteri in universalitate, alia verò in extremorum distantia, quæ est universalior præcedit eam, quæ habet extrema magis distantia, quia prima conditio, scilicet universalitas majoris virtutis est, quam secunda ad prioritatem naturæ inter illas inferendam. Posset etiam hìc ordo divisionum entis in quantum, & non quantum, finitum, & infinitum, absolutum, & respectivum, substantiam, & accidens confirmari ex tertia via, scilicet ex majori, vel minori intimitate modorum dividentium, vestigando an prius enti conveniat esse limitatum, vel illimitatum, ad se, vel ad aliud, in se, & per se, vel in alio, quæ enim servant ordinem prioritatis inter se invicem hìc modi intrinseci, hunc quoque servabunt divisiones in ipsis fundatæ.

59 Quamvis autem præfata divisio entis in finitum, & infinitum multas præcedat, quæ fiunt per modos, ut declaratum est, non tamen omnes, nam ut dictum est supra num.7. potest finitas, vel infinitas demonstrari per dependentiam, vel independentiam, quare sicut prius enti convenit esse a se, vel ab alio, seu independenter, vel dependenter, sic divisio entis in independens, & dependens, a se vel ab alio divisionem ipsam in finitum, & infinitum præcedere debet; unde valde hallucinatur Meurisf. loc. cit. concl.1. in fine, dum ait, divisionem entis in independens, & dependens, a se vel ab alio, & similes esse ultimas, & novissimas, quia inquit has esse novissimas rationes, per quas Deus, & creatura potuerunt ens dividere, hoc, inquam, falsum est, quia si illæ sunt novissimæ rationes, non posset per eas de Deo, & creatura infinitas, & finitas demonstrari. Deinde sicut necessitas de Deo demonstratur per independentiam, & esse a se, & contingentia de creatura per dependentiam, & esse ab alio, sic etiam divisio entis in necessarium, & contingens dependet ab illa in ensa se, & ab alio, independens, & dependens, ut dictum est supra num.8. Denique sicut simplicitas de Deo demonstratur per rationem infinitatis, & necessitatis, & compositio, vel componibilitas de creatura ratione finitatis, & contingentiæ, sic quoque fatendum est, divisionem entis in simplex, & compositum esse posteriorem divisionibus entis in finitum, & infinitum, contingens, & necessarium, ut dictum est num.10. Unde neque ex prima via, neque ex secunda deprehendi potest ordo inter istas entis divisiones nempe dependens, & independens, finitum, & infinitum, contingens, & necessarium, simplex, & compositum, nam omnes, & singulæ sunt æquè universales, & adæquatæ enti, item singularum extremæ æquè distant, quia nullius divisionis utrumque extremum potest in creatura simul reperiri, quare solum ex tertia via vestigari potest, scilicet ex majori, vel intimitate, ac propinquitate rationum dividentium ad commune divisum.

60 Præterea nedum divisionem entis in Deum, & creaturam, sed etiam in finitum, & infinitum præcedere divisionem entis in unum, & multa, probatur primò ex generali ratione superius tacta ab initio articuli num.51. quod hìc est fermo de veris, & propriis divisionibus entis, hoc autem non est talis, sed impropria, & similitudinaria, ut dixi qu.1. num.18. Deinde probatur alia generali ratione, quia admisso quod sit bona divisio, & quod unum, & multa sint veræ passiones entis, adhuc fatendum est; divisionem in finitum & infinitum esse priorem, quia hæc est divisio facta per modos intrinsecos, divisio autem quæ fit per modos, præcedit a toto genere divisionem factam per passiones. Tandem probatur etiam ex illis tribus viis cognoscendi prioritatem unius divisionis ad aliam, quamvis enim concederetur neutram esse priorem alia ratione universalitatis, quia utraque exhaurit totam latitudinem entis, nullum enim ens reperiri potest, quod non sit finitum, vel infinitum formaliter, vel saltem identicè, & pariter quod non sit unum, & multa, tamen extrema divisionis in unum, & multa minus distant, quam finitum, & infinitum, ac nimirum, sam sub uno membro ejus continentur Deus, & creaturæ, quæ simpliciter, & in rigore sunt unum per se, sub altera verò aliæ tantùm creaturæ, quæ non ita in rigore sunt unum, magis autem inter se distant ens finitum, & infinitum, quam quæ libet ratio entis creati ab alia ratione etiam creata; ergo ex secunda via divisio in finitum, & infinitum præcedit divisionem in unum, & multa, sed etiam id ostenditur præsertim ex tertia via ex intimitate nimirum rationum dividentium, quia finitas, & infinitas important modos intrinsecos entis, unitas autem, ac multitudo passiones, sed modi intrinseci sunt intimiores passionibus, ergo &c. Hanc rationem ex intimitate rationum dividentium deductam latè prosequitur Tromb. 1. Metaph. quæst.1. & probat Suarez disp.4. Metaph. sect.8. sed quod in ejus discursu mihi displicet est, quod quantitatem virtutis ait competere rei in esse quidditativo, & essentiali, ita enim arguit ibid. initio art.2. quo competit rei in esse quidditativo est intimius eo, quod non competit in tali esse, sed ita est quod quantitas virtutis competit quidditati, & naturæ in esse quidditativo, unitas autem & multitudo non, quia sunt solùm passiones ejus; ergo quantitas virtutis est intimior, &c. hæc, inquam, doctrina non placet, quia hæc quantitas virtutis est differentia entis, sed gradus, & modus ejus intrinsecus ut & ipse fatetur ibid. modus autem intrinsecus licet aliquo pacto sici possit

possit spectare ad primum dicendi modum, quatenus est intimior passione, ut explicui part.2. instit. num.15. tamen non constituit rem in esse quidditativo, neque ad tale esse pertinet, licèt immediatè consequatur illud, ut dictum est supra disp.2. num.72. Et certè ad concludendum contra Thomistas divisionem entis in unum, & multa non esse priorem divisione entis in quantum, & non quantum, vel in finitum, & infinitum, opus non erat tantam inuehere intimitatem modi intrinseci, sed sat erat ostendere, quod quantitas virtutis, seu gradus perfectionis entitativæ competit cuicumque rei in suo ordine prius, quam unitas, & multiciudo, quod quidem optimè demonstratur per discursum ibi factum à Trombet. ad quem remitto lectorem.

61 Denique quod prima omnino entis divisio non sit in quidditatem, & modum, ut ajebat Aret. supra cit. num.49. exinde probatur, quia hìc sermo est de veris, ac propriis divisionibus entis realis, in quibus tanquam commune univocum per rationes dividentes ab inferioribus participatur, & in eis essentialiter includitur, at licet quidditas rei entis rationem essentialiter includat, non tamen modus, qui est tantum ens identicè, & realiter, ut sæpius dictum est cum Doctore, ergo talis divisio nedum non est prima, sed nec etiam inter veras, ac proprias entis divisiones recensenda. At respondet, quod cum ens sic primò dividitur, sumi non debet pro eo quod est præcisè ens formaliter, & quidditativè, in hoc enim sensu ipse quoque concedit concl. 2. ens primò dividi in Deum, & creaturam, sed sumi debere latius pro omni illo positivo, quod est extra nihil, & in suo esse ab opere intellectus non dependet, sic enim ens reale, nedum à Deo, & creatura præscindit, verum etiam à quidditate, & modo, in quibus salvatur, quo pacto sumptum opponitur entì rationis, & primò dividitur in quidditatem, & modum. Sed distinctionem hanc, & duplicem entis acceptionem Scotistis valde familiarem rejeci supra num.40. quia ens reale ut est commune Deo, & creaturis definitur esse illud, quod habet esse, vel saltem habere potest extra nihil, & citra omne opus intellectus, unde quod est ita ens, eo ipso est formaliter, ac quidditativè ens, ideoque una acceptio cum alia coincidit, & falsum est, hanc duplicem entis acceptionem sumi ex Doctore quol.3. ab initio, ut inquit Aret. nam Doctor ibi triplicem affignat entis, & rei acceptionem, communissimam, communiter, & strictissimam, sub primo membro ait contineri ens rationis, & ens quodcunque reale ab ente rationis condistinctum, sub secundo ens reale, & absolutum, sub tertio ens reale, absolutum, & per se, ut est subsistantia; & quamvis dicat Scotus rem & ens in prima acceptione sumi, ut est commune ad rem, & modum, & in secunda ut res distinguitur contra modum, planè Doctor non loquebatur de modo intrinseco, ut opinatur Aretin. sed extrinseco rei, ut palam ibi se declarat, nam in prima acceptione ait, rem, & ens dici indifferenter de omnibus decem generibus, & in secunda tria tantum prima genera absoluta rem dici, alia verò rei circumstantias, & modos, non ergo de modis intrinsecis, sed extrinsecis loquitur, quæ utique sunt entia quidditativè, & formaliter.

62 Deinde admissa etiam prima entis acceptione, ut legitima, adhuc falsum est, ens illo modo sumptum esse quid reale præcisum nedum à Deo, & creatura, verum etiam à quidditate, & modo, in quibus salvatur, talem enim præcisionem esse omnino fictitium superius ostendi disp.2. quæst.7. art.1. num.182. tum quia sidaretur talis communitas entis cum præcisione ad quidditatem, & modum, tunc ista non haberent conceptum simpliciter simplicem, sed adhuc resolvi possent in ulteriores conceptus, nempe in illum entis utrique communis, & in determinativos illius, cujus oppositum asserit ibi hic Auctor. Tandem inconsultò prorsus pro hoc suo asserto adducit Doctorem 4. Met. quæst.1. ab initio, cùm enim inquit ibi quod *ens est statim quid, & quale &c. quia sunt immediatæ partes entis, ita quod non descendit ens in alias partes prius quam in istas*, hoc ibi refert ut Arist. dictum 4. Metaph. 4. & lib.8. & 16. & per quid & quale non intelligit quidditatem, & modum, sed substantiam, qualitatem, quantitatem, & cætera prædicamenta, ut patet evidenter ex ipso contextu, unde solet hæc auctoritas adduci in favorem opinionis immediatè ens dividentia in decem prædicamenta, cujus intelligentiam dedi disp.2. de natura entis num.28. & 174.

ARTICULUS II.

Satisfit Objectionibus.

63 IN contrarium primò contra primam conclusionem instat Pasqualig. tom.1. Metaph. disp.32. sect.3. probans ens unica tantum divisione dividi posse, quæ sit prima, & immediata; non potest ens dividi pluribus divisionibus quæ sint æquè primæ, & immediatæ, nisi plures rationes dividentes cadant supra rationem entis essentialem contradistinctam à passionibus, sed hoc est impossibile, quia si rationes divisivæ plures, quam duæ, caderent supra rationem entis vel immediatè ipsam afficerent, vel una mediante alia; si primum habetur intentum, quia tunc non erunt plures divisiones, sed unica tantum facta per plura membra dividentia, quia tunc ens adæquaretur per omnia illa membra dividentia, & non per aliqua tantum; si secundum ad hucc etiam habetur intentum, quia tunc unica tantum esset divisio prima, & immediata, cœteræ verò mediatæ, cùm una ratio dividens afficeret ens mediante alia, unde etiam hæ rationes servarent inter se ordinem prioris, & posterioris. Tum 2. facta semel una ant is divisione prima, & immediata, vel remanet ulterius divisibile alia consimili divisione, scilicet prima, & immediata vel non; si secundum habetur intentum, primum dici non potest, quia per illam primam divisionem jam ens est adæquatè divisum, itaut illa membra dividentia adæquatè expleant latitudinem ipsius, qua est primò contrahibile ad inferiora, unde non remanet ei aliqua alia capacitas, aut latitudo divisibilis, qua æquè primò per alia membra dividatur. Tum tertiò omnis divisio debet esse per membra opposita, & consequenter extremè distantia, vel saltem ad talis membra reduci debet; facta ergo aliqua entis divisione quæritur, an adhuc dividi possit ens per membra magis distantia, atque diversa, vel non; si secundum ergo hæc ipsa erunt extrema maximè distantia, quæ adæquant totam ejus latitudinem, si primum, procedam ulterius in infinitum, vel saltem quousque deveniatur ad extrema maximè opposita, & distantia. Tum 4. primæ rationes contrahentes ens proportionem habere debent cum ejus ratione contrahibili, nimirum quod sicut ipsum importat inchoationem primam cujusque realitatis, ita illæ rationes omnes, & singulæ incipiant primò determinare ens; ergo immediatè solùm conjungi poterit cum illis gradibus essendi, qui sunt primæ determinationes ipsius, unde cùm omnes illæ rationes, quæ dividunt ens immediatè, sint in uno certo genere, scilicet intra genus rationum, quæ sunt primæ determinationes entis, sequitur tantum unicam esse primam, & immediatam entis divisionem. Tum tandem quæ dividunt aliquam rationem communem, non possunt deinceps assumi ad dividendum aliquod inferius; ergo non benè dividitur primò, & immediatè ens per absolutum, & respectivum; spirituale & corporeum, quia hæc quoque dividunt accidens, quod est inferius ad ens, probatur assumptum, quia tunc eadem ratio faceret differre primò, & simul secundario, seu remotè, & proximè, & eadem ratio afferret enti primam determinationem ejus, & etiam posteriorem, quod implicat.

64 Resp. hæc argumenta si quid probant, probare solum quod in secunda conclusione dictum est, scilicet non posse dari plures æquè primas, ac immediatas entis divisiones simpliciter, & absolutè, non tamen probat, quod nequeant esse plures primæ, & immediatæ secundùm quid nimirum ex aliquo capite ex assignatis num.51. modo explicato conclusione secunda, unde opus non esset ad illa respondere, tamen quia prætendit Pasqualig. per ea probare dari non posse plures primas entis divisiones simpliciter, & absolutè loquendo, ad singula sigillatim placet respondere; Ad 1. neg. min. ad probationem dico, quod in casu plures illæ rationes divisivæ afficerent immediatè rationem entis, & quia contrahrent illud secum diversas rationes, essent plures divisiones ratione diversitatis dividentium, & singulæ essent enti divisio adæquatæ, quia per singulas totum ens exhauriretur, ut fiens dividatur per finitum, & infinitum, absolutum, & respectivum, spirituale, & corporeum, substantiam, & accidens &c. omnes sunt æquè primæ, & immediatæ ratione universalitatis, quia una non est universaliter alia; Deus & creatura, ens finitum, & infinitum sunt æquè primæ, & immediatæ ex duabus conditionibus, scilicet ratione universalitatis, & distantiæ extremorum, quia extrema infinitè distant utrobique quod non evenit in aliis divisionibus assignatis, & sic patet quomodo, & in quo sensu dari possunt plures divisiones entis æquè primæ, & immediatæ ex aliquo tantum capite ex assignatis, non tamen ex omnibus, quia extrema unius divisionis semper præcedunt alia vel in universalitate, vel in distantia, & diversitate, vel in majori intimitate, aut propinquitate cum communi divisio. Ad 2. facta semel una entis divisione v. gr. per substantiam, & accidens remanet adhuc ens ulterius divisibile alia consimili divisione, scilicet prima, & immediata, non tamen per membra ejusdem rationis, nimirum, per finitum, & infinitum, absolutum, & respectivum &c. quæ rursus in suo ordine exhauriunt adæquatè latitudinem entis, nam licet adæquatè exhausta foret per primam divisionem in uno ordine dividentium, scilicet per substantiam, & accidens, non tamen in alio ordine, vel genere dividentium. Ad 3. dari possunt plures entis divisiones per extrema maximè distantia, ut cùm dividitur in Deum, & creaturam, finitum, & infinitum, necessarium, & contingens, simplex, & compositum &c. hæ inquam, & consimiles divisiones dantur per extrema maximè distantia, quia in omnibus, & singulis infinitè distant, nec utrumque extremum potest reperiri in altero membrorum dividentium, ut contingit de absoluto, & respectivo, substantia, & accidente, &c. quæ reperiuntur in creatura.

65 Ad 4. potest ens primò determinari ad plures gradus essendi, sed diversæ rationis, puta à se vel ab alio, ad se vel ad aliud, in se vel in alio, & similiter, quælibet enim combinatio harum rationum conceptum entis primo determinare possunt in suo ordine, unde quamvis omnes illæ rationes sint in uno certo genere, scilicet intra genus rationum, quæ sunt primæ determinationes entis, non tamen sunt in eodem ordine, quod sufficit, ut censeantur plures entis divisiones æquè primæ, & immediatæ secundùm quid modo explicato. Ad ultimam, quæ est cœteris efficacior, verum est assumptum, ac etiam consequentia inde deducta, quod si semel assumantur absolutum, & respectivum, spirituale, & corporeum, substantia, & accidens ad dividendum ens, ut sic, commune Deo, & creaturæ, deinceps sumi nequeunt rursus ad dividendum aliquod inferius, ut propriæ ejus differentiæ, unde cùm dicitur accidentium aliud esse absolutum, aliud respectivum, & aliud spirituale, aliud vero corporeum, solum significare volumus hæc extrema ens dividentia non adeo distare, quin sub eodem membro divisio, scilicet sub accidente salvari possit eorum diversitas, non autem quod propriè dividatur aliquid inferius ad ens; quamvis enim de ratione dividentium sit, ut sint opposita, nec coincidere possint, ita quod ambo intrinsecè concurrant ad idem constituendum, non tamen est de ratione ipsorum quod ita distent, ut amborum diversitas adhuc salvari nequeat sub latitudine alterius membri modo prædeclarato in adductis exemplis de absoluto, & respectivo, spirituali, & corporeo, quæ æquè primò, & adæquatè ens dividunt perinde, ac finitum, & infinitum, & tamen non adeò distant, quin possint salvari in creatura. Quod si oppositio dividentium ens tantam quoque distantiam inter ipsa expolcat, ut nequeat eorum diversitas salvari in Deo, & creatura, tunc dicendum est ens primò, & immediatè solum benè dividi per Deum, & creaturam, finitum, & infinitum, necessarium, & contingens, dependens, & independens, simplex, & compositum, & si quæ alia sunt extrema infinitè distantia, unde adhuc bene juxta hunc dicendi modum plures divisiones entis admitti debent æquè primæ, & immediatæ, quatenus omnes sunt æquè universales, & extrema habent æquè distantia. Verum tamen est dari non posse plures divisiones entis æquè primas, & immediatas ex omnibus tribus conditionibus assignatis, quia dari nequeunt plures rationes divisivæ, quam duæ quæ primò attingant, & immediatè, ut differentiæ essentiales rationem communem contrahibilem, unde hæc assignata divisione per primas intimas differentias, cæteris deinceps deficit tertia conditio primitatis ex intimitate petita, & hoc sensu benè concludunt rationes Pasqual. quod nequeunt dari plures divisiones entis æquè primæ, & immediatæ, quia solum dari possunt æquè primæ primitate petita ab universalitate, & distantia dividentium, non autem ab intimitate.

66 Secundò instat Aversa contra secundam conclusionem probans ens æquè primò, & immediatè dividi posse per plures divisiones, nam uno modo immediatè dividitur ens in substantiam, & accidens, alio modo in Deum, & creaturam, alio modo in absolutum, & respectivum, in spirituale, & corporeum, & aliæ sunt similes, quæ omnes æquè primò, & immediatè adæquantur ipsi enti, quia omnes exhauriunt totam latitudinem entis, nec una est subdivisio alterius. Fundamentum ejus est, quia non inconvenit unum, & idem primum habere rationem determinabilis, quamvis ergo Dei, & creaturæ conceptus resolvi possint in conceptum determinantem, & determinabilem, non lequitur in eos resolvi, ut in primas rationes divisivas entis, quia omnes rationes divisivæ, quatenus tales, habent rationem determinantis, & non determinabilis. Tum quia conceptus Dei, & creaturæ resolvuntur in ens, & suum determinativum, ut in quid, & quale; unde si ratio illa valet, concludit ens esse sui ipsius primum divisivum; negganda est itaque major, quia ea, in quæ resolvuntur conceptus Dei, & creaturæ, benè dici possunt rationes constituentes, & componentes illos conceptus resolubiles, non tamen rationes divisivæ entis.

69 Quintò arguit Suarez loc. cit. probans divisionem entis omnium primam esse in infinitum, & finitum, illa est prior divisio, quæ datur per intimiora, finitas, & infinitas sunt quid intimius rei quocunque alio entis attributo, sive illud sit unitas, sive bonitas, sive aliquid aliud, nam important perfectionem rei, quæ est idem, ac ipsum esse rei. Conf. finitas, ut infinitas dicitur secundum essentiam, & consequenter divisio quoque quæ ut per ipsam, ergo divisio hæc præcedit cæteras omnes, quæ sit per modos, vel passiones; quia priora sunt quæ pertinent ad essentiam, quam quæ pertinent ad passiones. Demum illa divisio est prior, quæ datur per membra magis distantia, sed hæc est hujusmodi respectu aliarum, nam hæc infinitè distant, non autem unum, & multa, substantia, & accidens, absolutum, & respectivum, & alia membra dividentia, quæ assignari solent, ergo &c.

Resp. re vera non fuisse mentem Suarez divisionem entis in finitum, & infinitum cæteris omnibus absolutè præferre, sed tantum comparationem facit cum divisione in unum, & multa, quam jactabant Thomistæ esse priorem, & oppositum contendit Suarez allatis rationibus demonstrare; ne quis tamen suspicetur eas absolutè probare. Ad p. dico, quod licet finitas, & infinitas propinquius attingant rationem entis, quoniam dividunt ens secundum rationem perfectionis entitativæ, quæ est modus intrinsecus ejus, non tamen sunt prædicata essentialia Dei, vel creaturæ, adeoque divisio facta per illas sit essentialis, & quidditativa, sed sunt modi eorum intrinseci finitas creaturæ, & infinitas Dei; & licet gradus perfectionis entitativæ rei sit idem realiter, & formaliter cum essentia rei, adhuc tamen distinguitur modaliter eo pacto, quo solet modus intrinsecus distingui à re, cujus est modus, & semper supponit essentiam in suo esse quidditativo constitutam; quare licet possit divisio entis in finitum, & infinitum dici prior aliis, quæ datur per modos, & passiones, non tamen prior illa, quæ datur immediatè per ipsas quidditates sub ente contentas, scilicet in Deum, & creaturam. Imò ut notandum est n.59. neque est prior omnium, quæ datur per modos, quia adhuc prior ipsa est divisio entis in dependens, & independens seu à se, & ab alio, quia per dependentiam ostenditur à priori finitas de creatura, & per independentiam infinitas de Deo, ut monet Doct. quol. 7. Ad Conf. patet per idem, quod finitas, & infinitas non dicuntur secundum essentiam, quasi sint prædicata quidditativa rei, quia formaliter loquendo non important ipsammet rei essentiam, sed tantum modum participandi eam, ideoque præsupponere debet essentiam, quæ participetur in suo esse constitutâ, unde cùm essentia sit prior, quâ modus

quo participatur, ideò divisio facta per gradus essentiales vel per ipsas essentias, qualis est divisio entis in Deum, & creaturam, præcedet divisionem factam per finitatem, & infinitatem. Ad ultimum patet ex dictis non ex sola distantia extremorum argui debere absolutam prioritate unius divisionis ad alias, sed etiam ex aliisconditionibus, imò in hac ipsa conditione divisio entis in finitum, & infinitum æquiparatur à multis aliis, puta à divisione entis in dependens, & independens, à se & ab alio, necessarium, & contingens, & aliis hujusmodi, in quibus extrema divisionis infinitè distant perinde, ac finitum, & infinitum, quare illa ratio concludit solum divisionem entis in finitum, & infinitum ex majori extremorum distantia præcedere illas, in quibus extrema non infinitè distant, quales sunt enumeratæ in argumento.

70 Sextò arguit Hurtadus disputatione 10. Met. sectione prima probansimmediatam entis divisionem esse in substantiam, & accidens, non autem in Deum, & creaturam, illa dividentia sunt immediata diviso, sub quo nullam aliam habent convenientiam essentialem, & illa divisio, quia est universalior, continet sub utroque omnia inferiora in illo similia opposita inferioribus alterius dividentis, at vero divisio per conceptus particulares in illis deaet confundere rationes divisi, ergo divisio conceptus universalis debet immediatè dari per dividentia universaliora, tunc sic, sed ens est universalissimus conceptus, Deus autem singularissimus, qui magis quam in ratione entis cum aliis convenit, & multæ particulæ alterius dividentis sunt necessario repetendæ in explicatione Dei, nempe conceptus substantiæ viventis, & cætera quod non contingit in divisione substantiæ, & accidentis, ergo ens non est immediatè dividendum in Deum, & creaturam, sed in substantiam, & accidens. Deinde ens est idem, quod ratio essendi, ergo dividi debet per immediatas, & oppositas rationes essendi, sed esse Deum, & creaturas non sunt modi essendi, ergo non benè dividitur per illas; probatur minor, quia modi essendi sunt perfeitas, & inhærentia, non autem finitudo, & infinitudo, unde cum substantia, & accidens sint modi determinantes ens, per illos debet ens immediatè dividi, non autem per Deum, & creaturam.

Respond. negando de ratione bonæ divisionis esse, quod ait ibi Hurtad. ut nempe partes dividentes ita constituantur; ut in explicatione alterius non includatur altera, sufficit enim solum, quod membra non coincidant, ita quod ratio constitutiva unius non sit quoque formaliter constitutiva alterius; quod autem interdum in explicatione unius membri dividentis misceantur rationes communes alteri, hoc parum refert, neque obest bonitati divisionis, nam id quoque contingit in ipsa divisione entis in substantiam, & accidens, quam Hurtad. ponit immediatam, & optimam, ut ipse benè prævidit ibidem, imò in quibusdam divisionibus id evitari non potest, sicut ergo id non tollit bonitatem divisionis entis in substantiam, & accidens, ita neque bonitatem divisionis in Deum & creaturam. Et quamvis conceptus entis sit universalissimus, autem singularissimus, adhuc tamen assumi potest Deus, ut alterum membrum ad dividendum ens cum creatura, quia adhuc sub tali singularitate in infinitum distat ab altero membro, quod de substantia, & accidente dici non potest, nam ut supra dictum est primitas, & universalitas alicujus divisionis non ex universalitate extremorum dumtaxat aut pricari debet, sed etiam ex eorundem majori distantia. Ad aliud posset argumentum retorqueri, sicut enim Deus, & creatura non sunt diversi modi essendi, sed diversi gradus entis, ita quoque accidens, & substantia non sunt modi determinantes ens, sed potius determinatæ quædam entitates sub ente, & ideò sicut hac ratione non est bona nostra divisio entis in Deum, & creaturam, ita nec divisio Hurt. entis in substantiam, & accidens; dicendum ergo, quod cum ens dividitur in Deum, & creaturam, non dividitur utique tanquam in diversos modos essendi, sed veluti in ipsa membra per divisionem constituta, sicut etiam cùm dividitur in substantiam, & accidens, si verò divisio fieri debeat per ipsas rationes dividendi non autem per ipsa membra ex divisione resultantia, sicut dividitur ens in substantiam, & eccidens per perfeitatem, & inhærentiam, ita quoque dividi potest in Deum, & creaturam per esse à se, vel ab alio, aut per infinitatem, & finitatem, tam enim benè est modus essendi à se, vel infinitas, quàm perfeitas, & ab alio, quàm inhærentia; imò sicut modus essendi à se, vel cum tota plenitudine perfectiones, vel ab alio citra talem plenitudinem præcedit natura modum essendi in se vel per se, aut in alio, ita divisio ex illis modis desumpta præcedit eam, quæ sumitur ex istis.

71 Septimò arguit ad idem Pasqual. cit. disp. 32. sect. 4. duo sunt, quæ constituere debent primam entis divisionem, primum est, quod rationes dividentes cadant formaliter supra ipsam rationem entis, prout contradistinguitur à passionibus, alterum quod primò determinent ipsum ens ad aliquem certum modum essendi, sed hæc duo salvantur in ratione accidentis, & substantiæ, ergo hæc est prima, & immediata divisio, minor quoad primam partem patet, quia esse per se, & esse in alio, quæ sunt rationes substantiæ, & accidentis, non dividunt ens secundum quod unum, verum, vel bonum, sed secundum quod est prima ratio essendi, & fundamentum omnis realitatis, quoad secundam probatur, tum quia esse per se, & esse in alio, unumquoque in suo genere est prima ratio, itaut in tali genere non habeat aliquid prius, ergo oportet quod sint primæ rationes determinantes ens secundum modum essendi, & consequenter illud primò, & immediatè dividentes, Tum 2. esse per se, & esse in alio sunt rationes immediatè oppositæ & fundantes contradictionem; ergo etiam sunt rationes primò contrahentes, & dividentes ens secundum determinatum essendi modum, patet assumptum, & consequentia probatur, quia dum immediatè opponuntur in ratione essendi, oportet quod supra se nullam habeant rationem, quæ determinatum modum essendi importet, si enim illam haberent, jam in ea ratione essendi convenirent, & sic non essent rationes totaliter, ac immediatè oppositæ. Tum 3. Unumquodque debet habere proprium modum participationis, quo suum esse participet, vel ergo ita participat esse in se, ut ad illud habeadum non indigeat adminiculo alterius, sed per se subsistat, & tunc erit substantia, vel indiget adminiculo alterius, itaut ad hoc quod possideat suum esse debeat ab alio sustentari, & tunc erit accidens; cum ergo alii modi nequeant excogitari, quibus entia suum esse contineant, dicendum est per hos modos ens primò, ac immediatè dividi. Tum tandem quia si isti non sunt primi modi essendi determinantes ens, sed darentur alii superiores, & communiores illis reperiretur aliquod ens, quod haberent esse, & non per aliquem ex illis duobus modis, & proinde neque esset accidens, neque substantia, quod est impossibile.

Resp. negando minorem quoad secundam partem, ad primam probationem concesso antecedente negatur consequentia, quia cum hoc quod esse per se, ac esse in alio sint primæ rationes essendi unaquæque in suo genere, adhuc benè stat, quod dentur aliæ rationes essendi priores, & communiores supra illa genera, ut v. g. esse à se, vel ab alio, habere esse cum plenitudine perfectionis, & illimitatè, vel limitato modo per essentiam, vel per participationem &c. Ad 2. negatur consequentia cum probatione, quia cum hoc quod perfeitas, & inhærentia immediatè, & totaliter opponantur, adhuc stat, quod habeant rationem superiorem, quæ determinatum modum essendi importet (esto non ita determinatum, sicut important illa) puta esse à se, vel ab alio, quia non ob id illi duo modi essendi conveniunt essentialiter in isto, sicut enim differentia inferior quidditativè superiorem nunquam includit, ita quoque dicendum de modis, unde nec perfeitas, nec inhærentia dicuntur esse à se, vel ab alio propriè loquendo, sed res quæ per se est, vel in alio, quæ adhuc immediatè opponuntur in talibus modis essendi per se, vel in alio. Ad 3. conceditur ens unumquodque habere proprium modum participationis, quo suum esse participet, sed negatur hos esse dumtaxat perfeitatem, & inhærentiam, nam alii dantur modi essendi præter hos, & priores istis, scilicet esse à se, vel ab alio, habere esse limitate, vel illimitatè, defectibiliter, vel indefectibiliter, & similes; prius namque cogitatur, vel cogitari debet aliquod ens habere esse à se, vel ab alio, quam esse in se, vel in alio. Ad ult. aljas dictum est in simili, quod licet à parte rei, ac in esse subjectivo nullum ens reperiatur, quod non sit substantia, vel accidens, datur tamen in esse objectivo, & apud intellectum abstrahentem cum fundamento, in re, quod à simili probari posset in quocunque genere, ut in genere substantiæ datur substantia præscindens à materiali, & spirituali, & tamen à parte rei nulla reperitur substantia, quæ non sit corporea, vel spiritualis; in genere accidentis, datur accidens abstrahens ab absoluto, & respectivo licet à parte rei nullum sit accidens, quod sit absolutum, vel respectivum, de quo vide rursus supr. q. 1. n. 24.

72 Postremo urgent Thomistæ probantes divisionem entis in unum, & multa præcedere divisionem entis in quantum, & non quantum, finitum, ac infinitum, ens ex natura rei, prius est unum, quam finitum, vel infinitum, ergo prius dividitur in unum, & multa, quam in infinitum, & infinitum. Consequentia patet, quia divisiones servant ordinem eorum, à quibus desumuntur; probatur assumptum, ens per Scotum secernitur ex natura rei saltem modaliter à finito, & infinito, sed quodcunque distinguitur ab alio prius est unum in se, quia unumquodque per propriam unitatem est indistinctum à se, & distinctum a quolibet alio, cum distinctio super unitatem fundetur ex 5. Met. ergo ens prius est unum, quam sit infinitum, vel finitum, probatur hæc consequentia, in eo signo, in quo ens intelligitur esse distinctum è finito, & infinito, non intelligitur ei competere finitas, vel infinitas, alioquin non distingueretur ab ipsis, & in tali signo est unum, ergo intimior est unitas enti, quàm finitas, vel infinitas.

Respondent Scotistæ negando antecedens, ad probationem respondent cum Tromb. 1. Met. qu. 1. art. 3. distinctionem posse accipi dupliciter, vel positivè, ut est passio entis, vel negativè, ut coincidit cum non identitate, quæ quidem est communis enti, & non enti, atque alicui in aliquo signo competere potest, pro quo ei non competit distinctio, hinc respondent, finitum, & infinitum prius enti convenire, quam unitas, vel multitudo, quia modi intrinseci præcedunt passiones, & in tali statu adhuc ab infinito, & finito distingui non quidem positivè, sed negativè, quatenus est non idem. Dices, quod non est idem alteri prius est idem sibi ipsi, sed quoadilibet, quod est idem sibi ipsi prius est unum in se, quoniam identitas per Arist. ex 5. Met. super unitatem fundatur, ergo sequitur, quod illud quod est sic non idem, prius est unum in se, & sic habetur propositum, quod ens in ista præcisione prius est unum, quam finitum, vel infinitum. Rursus occurrit Tromb. loc. cit. quod identitas potest dupliciter sumi formaliter, vel fundamentaliter, identitas primo modo sumpta est relaxio actualis præsupponens extrema secundum propriam rationem unitatis, secundo modo identitas nil aliud est, quam fundamentum ipsum, cui non est idem alteri, est idem sibi ipsi fundamentaliter, hoc est, est aliquod fundamentum, cui non repugnat unitas, & identitas ad se, quod nihil aliud est, quam ipsum esse ipsum.

73 Hæc communis Scotistarum solutio non placet, quamvis enim verum sit, quod infinitas in Deo, & finitas in creatura præcedunt divinam, & creatam unitatem, ac bonitatem, quia sunt modi intrinseci, quibus esse ab unoquoque participatur intrinsecè imbibiti in essentia cujuscunque rei antecedenter ad passiones, tamen si comparentur ad ens, ut sic, præscindens à finito, & infinito, falsum est, quod in ente præcedant unitatem transcendentalem ejus, sic enim unum prius enti convenit, quam finitum, & infinitum, aliique modi contrahentes ipsum, sicut à simili in omnibus generibus prius utique convenit generi adæquata ejus proprietas, quam differentiæ contrahentes, quia differentia contrahens convenit ei ratione inferioris, at talis proprietas convenit ei secundum se præcisè abstrahendo ab inferioribus; hac ergo pariter ratione prius enti convenit esse unum, quam finitum, vel infinitum, quia est formaliter unum secundum se præcisè abstrahendo ab inferioribus, sed non est formaliter finitum, vel infinitum nisi ratione inferiorem. Itaque dicendum aliud esse loqui de finitate, & infinitate, & aliud loqui de quantitate virtutis, ut ab utraque præscindit, quamvis unitas prius enti conveniat; quam finitas, & infinitas, attamen quantitas virtutis ab utraque præscindens prius enti convenit ipsa unitate, quia hæc est modus intrinsecus ipsius entis, ut sic, sicut enim quamcunque essentiam sequitur quantitas perfectionalis in gradu determinato, sic essentiam in communi, ut sic, comitatur quantitas perfectionalis, ut sic, ab omni gradu determinato præscindens; esto igitur ens, ut sic, prius sit unum, quam finitum, & infinitum, tamen quia dividi per finitum, & infinitum, convenit ei non ut unum, sed ut quantum, huinc est, quod divisio facta per finitum, & infinitum dicitur præcedere divisionem, quæ fit per unum, & multa.

74 Accedit, quod ut divisio per unum, & multa speciem aliquam bonæ divisionis inducat, explicari non debet per unitatem transcendentalem communissimè sumptam, quasi ipsa sit membrum dividens ipsum ens contra multa, cum enim sit passio cum ente convertibilis repugnat esse differentiam ipsius divisivam ut constat ex dictis nu. 4. in explicatione illius divisionis; debet ergo intelligi de aliqua unitate magis determinata, quæ scilicet quidam gradus unitate transcendenti superadditus, & quamvis etiam sic explicando hanc divisionem adhuc semper à conditionibus veræ divisionis aliquo modo deficiat, tamen admisso, quod sic explicata sit bona, hinc tamen non concluditur esse absolutè primam inter omnes, quia talis divisio caderet supra ens, non secundum rationem suam essentialem, ut à passionibus condistinctam, quod ad primitatem divisionis requiritur, sed prout diceret unitatem, quæ est passio ejus, ex quo statim sequitur non esse omninò primam entis divisionem, sed aliam supponere, quæ fieret secundùm primam rationem entis, & pertineret ad ens, ut quid, non autem ut quale, & hæc est divisio ejus in Deum, & creaturam; imò aliam quoque supponeret, quæ ad ens pertinet, ut quantum, quæ est divisio in finitum, & infinitum, quia ens adhuc est prius quantum, quam quale, quantificatur autem per modos, & qualificatur per passiones; quocunque ergo modo explicetur hæc divisio Thomistarum in unum, & multa, nedum statui nequit omnium prima, sed nec etiam præcedere potest divisionem entis in quantum, & non quantum, aut infinitum, vel infinitum; alia Thomistarum argumenta contra hoc punctum vide soluta apud Tromb. loc. cit.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Entis finiti essentia, ac existentia.

1 *Quoniam in præcedenti disput. diximus præcipuam entis divisionem esse in finitum, & infinitum, ejus membra deinceps declaranda proponentur. Et quamvis ordini naturæ insistendo prius de ente infinito agere deberemus, ut primo, ac præcipuo membro, ac principali analogato, quod proinde disp. 1. statuimus Metaph. primarium objectum, quod principalitatis, appellant; ordo tamen doctrinæ, qui incipit à notioribus nobis, & facilioribus, postulat, ut prius agamus de ente finito, quod nobis est obvium, & proximum sensibus, quàm de ente infinito, quod est remotissimum, juxta illud Apost. ad Corint. 1. invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

QUÆSTIO PRIMA.

An status essentiæ creaturarum, ut ab existentia præscindit, sit solius possibilitatis, an etiam alicujus actualitatis.

2 Apud omnes exploratum est, creaturas, antequam fiant in actu, suum statum possibilitatis habere, de quo ex vi productionis transferuntur ad statum actualitatis, quia si res non esset possibilis, nequaquam fieri posset, ac in rerum natura produci, per hoc enim res possibiles ab impossibilibus secernuntur, quales sunt Chimere, quibus nulla præsupponitur possibilitas; quia rerum essentiæ per rationem possibilitatis, ac non repugnantiæ explicari solent, ut diximus disp. 3. ab initio, quia statim ac ab existentia præscindunt, intelliguntur esse in statu possibilitatis, difficultas est, quid dicant sub tali statu, & an hic status sit meræ possibilitatis, vel an etiam alicujus actualitatis, in qua talis possibilitas fundetur. Et prima opinio, cujus Auctor censetur, Henricus in summa art. 2. quæst. 23. & 25. & quolib. 8. quæst. 9. & quol. 9. q. 1. & 2. & quol. 11. q. 3. tenet creaturas, sive rerum essentias secundum statum possibilitatis præcisè sumptas præscindentem ab existentia non esse merum nihil, neque habere solum esse potentiale in causa, in qua virtualiter continetur, sed ulterius habere in seipsis ab æterno esse intrinsecum actuale quidditativum suæ essentiæ, quod quidem est à parte rei extra intellectum divinum, secundum quod esse sunt objectum divinæ scientiæ, quæ vocatur simplicis intelligentiæ, ita quod quando posita in tempore producuntur, acquirant solùm esse actuale existentiæ, pro qua sententia citatur etiam Ægid. opusc. de ente, & essentia, Capreol. 2. d. 1. q. 2. ad 4. & ex Recentioribus sequitur Albertinus to. 2. princip. 1. Philosoph. disp. 1. qu. 1. concl. 1. Ubi addit creaturas habere hoc esse actuale independenter à Deo, tanquam à causa efficiente, dependent enim ab eo in hoc esse dumtaxat, tamquam à causa exemplari, quod anteà docuerat Capreolus loco citato ex ipso Henrico.

Alia quoque in hac quæstione solet referri opinio, quæ idem licet non attribuat essentiis rerum ab æterno esse quoddam actuale verum, & reale, ut faciebat Henricus, admitti tamen quoddam esse diminutum medium quodammodo inter esse reale, & rationis, quam opinionem Scoto impingere solent Thomistæ p. 1. q. 14. art. 5. & 6. quia Scotum non intelligentes existimant illud esse cognitum, quod Doctor tribuit creaturis ab æterno in mente divina, esse aliquod esse reale distinctum ab esse Dei, ideòque acriter ipsum redarguunt, ut turpiter lapsum in errorem Vvicleffi asserentis creaturas in mente divina habuisse aliquod esse reale distinctum ab esse Dei, sicut refert Vvaldensis lib. 1. doctrin. fidei antiq. cap. 8. à qua gravissima calumnia nedum Scotistæ omnes Magistrum suum incunctanter defendunt, & vindicant, sed etiam alii extra scholam nostram melius, quam Thomistæ Scotum intelligentes, nam duo Societatis proceres Vasquez qu. 1. disp. 70. cap. 2. num. 8. disput. 104. cap. 3. num. 9. inquit nec per somnium id Scotum unquam cogitasse, & Suarez ait disp. 31. Met. sect. 2. num. 2. tantum abesse, ut hoc Scotus asseruerit, quod potius seriò, & ex professo impugnaverit Henricum, eo quia variis in locis dixerit essentias rerum ex se habere quoddam esse essentiæ, quod vocat esse reale, æternum, & improductum conveniens creaturis independenter à Deo, quodque in eis supponit non solum ante efficientiam, sed etiam ante scientiam Dei, ut ratione illius possiat esse objecta scientiæ divinæ, quam Theologi vocant simplicis intelligentiæ.

3 Sed quod vehementer doleo, est, quod cum Scotistæ, & alii Doctores Scoto non insensi à tanta calumnia eum vindicare conantur Poncius tom. 3. sui cursus Scotici disput. 18. quæst. 5. loquens de esse creaturarum ab æterno favens mendaciis Bannes Cajet. & aliorum Thomistarum Scoto relatam opinionem tribuentium eam tenet, ut de mente Doctoris, ait enim conclus. 4. num. 52. illud esse quod habent creaturæ ab æterno, est esse quoddam diminutum quasi medium inter esse rationis, & esse simpliciter reale, & ait hanc conclusionem esse Scoti cum suis omnibus, cùm tamen nec Scotus, nec ullus ex ejus discipulis, quem viderim, hoc unquam asseruerint, imò acriter damnent, ut calumniam Scoto impositam à Thomistis, ut infra videbimus. Sed quod magis admireris, est, quod pejorem adhuc, & perniciosiorem opinionem ibi tribuit Scoto, quam fecerint Thomistæ citati, illi namque Scoto adscribunt, quod dixerit creaturas ab æterno habuisse aliquod esse diminutum medium inter esse reale, & rationis dependenter à cognitione Dei, at Poncius conclus. 5. num. 53. & seq. ait creaturas ab æterno tale esse habere à seipsis independenter à Deo, & ab operatione divini intellectus, ex quo patet pejorem errorem Scoto tribuere, & velut ejus opinionem defendere, quam fecerint Thomistæ, & Franciscus Herrera 1. sentent. disput. 16. quæst. 3. ubi licet & ipse hunc dicendi modum amplectatur, ut Scoticum, non tamen ponit illud esse prorsus à Deo independens, ut Poncius.

Communis sententia docet statum essentiæ creaturarum ab æterno esse meræ possibilitatis itaut nullum esse reale actuale habeant seclusa existentia, nec medium inter esse reale, & rationis, ita passim tenent Thomistæ, Scotistæ, & Neutrales omnes; Scotus autem addit, quod si aliquod esse actuale habent creaturæ possi-